

cta, vestræ sanctitatis est prudenter perpendere, et hoc nefarium scelus canonicè ulciscendo, ne de cætero tale quid præsumatur, posteris exemplum relinquere. Orat ergo sanctitatem vestram socialis fratrum nostrorum concordia, et hoc a vestri culminis patrocínio tota implorat Ecclesia, ut tanti sceleris auctores diligentissime perquiratis, inventos distinctissime puniatis. Qui si forte dissimulando latent, gladio Spiritus sancti, velut putrida membra, de corpore Christi abscindatis, et ut omnes, etiam sacerdotes nostri, eos perpetuæ maledictionis anathemate feriant, firmissime præcipiatis.

ANNO DOMINI MLXXIV.

HUGO I

TRECENSIS EPISCOPUS.

NOTITIA HISTORICA.

(*Gallia Christiana*, novæ editionis tom. VIII.)

Synodo Romæ a Nicolao papa anno 1059 mense Aprili habitæ astitit Hugo, ubi definita monachorum Vindocinensium adversus Andegavenses S. Albini de cella Credonensi causa, definitionemque significavit Bartholomæo Turonensi et Eusebio Andegavensi episcopis epistola quam habes *Anecd. t. IV, col. 91*, et lecta fuit in synodo Burdegalensi Kal. Aprilis 1068. Sacro Philippi regis die S. Pentecostes anni 1059 astitit Hugo, qui subscripsit diplomati regis ejusdem canonicos regulares in ecclesiam S. Martini a Campis Paris. inducentis anno 1060. Monachis Caziacensibus villam Caroli confirmavit an. 1063. Cum aliis episcopis consensit privilegio Alexandri II in gratiam Rainerii abbatis S. Dionysii pridie Nonas Maii, pontificatus iv. Testis fuit donatæ viii Kal. Febr. 1064 monachis Majoris Monasterii a Theobaldo comite ecclesiæ de Juviniaco. Subscripsit an. 1067 diplomati Philippi I regis pro monasterio S. Martini Campensis, et adfuit dedicationi ecclesiæ. Adfuit quoque dedicationi ecclesiæ S. Quintini Bellovacensis an. 1069. Ecclesiam S. Andreæ monasterio Cellensi dedit, quam Philippus rex confirmavit an. 1071; cæjus in litteris eodem anno eidem cænobio ecclesiam S. Savinæ donantis subscripsit. Subscripsit et eodem anno præcepto Burchardi Corboliensis pro abbacia Corboliensi. Utrum pervenerit ad annum 1075 non liquet.

EPISTOLA HUGONIS

EPISCOPI TRECENSIS.

AD BARTHOLOMÆUM TURONENSEM ARCHIEPISCOPUM.

(Anno 1059.)

De cella Credonensi in concilio Romano sub Nicolao papa Vindocinensibus monachis asserta.

(*MARTEN. Thesaurus Anecd.*, tom. IV, col. 91, ex chartario Vindocinensi.)

BARTHOLOMÆO domino ac venerabili Turonensi archiepiscopo, EUSEBIO quoque Andegavensi episcopo, necnon et GAUFREDO comiti Christianissimo, HUGO Augustæ Trecorum episcopus, quidquid eis est utilius.

Quod vidimus atque audivimus, quod etiam cum aliis fratribus nostris Nivernensi episcopo Hugone, atque Meldensis episcopo Walterio in Romana synodo determinavimus, hoc viva voce veritatis testificamur. Vidimus namque in sancto Romano concilio quemdam ex fratribus S. Albini Andegavensis,

atque audivimus, loquentibus scilicet litteris ecclesiæ S. Albini clamorem adversus fratres S. Trinitatis Vindocinensis cænobii, de quadam videlicet ecclesia S. Clementis Credonensi. Sed cum Vindocinensium audiremus econtra privilegium, residente bonæ memoriæ papa Nicolao, nos totaque Romæ synodus partes Vindocinensium justissimas diffinivimus, quod etiam viderunt et audierunt venerabiles nostræ Ecclesiæ clerici, archidiaconi Gosbertus et Ansellus, clerici vero Stephanus et Burdinus.